

No. 1062. 1463. 18. Aug.

*P. Pius II. verfügt aus eigener Bewegung, dass der von ihm in die durch die Bestätigung Dietrichs zum Bischof erledigte Würde eines Domprobsts zu Meissen eingesetzte Dietrich von Schönberg Probst zu Budissin seiner Zusage gemäss dem Bischof jährlich 100 rhein. Goldgülden zahle.*

Pius episcopus servus servorum dei dilecto filio Theoderico electo Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Personam tuam nobis et apostolicae sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes illa tibi libenter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Nuper siquidem cum nos ecclesiae Misnensis tunc pastoris solatio destitutae de persona tua providissemus praeficiendo te illi in episcopum et pastorem, nos canonicatum et maiorem praebendam ac quae inibi dignitas maior post pontificalem existit praeposituram dictae ecclesiae, quos tempore promotionis et provisionis obtinebas prout adhuc obtines, cum illos per promotionem et munus consecrationis tibi impendendum aut lapsu temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti vel alias quovis modo praeterquam per tui obitum vacare contigerit, conferendos dilecto filio Theoderico de Schonenberg praeposituram ecclesiae sancti Petri in Budissen Misnensis diocesis inter alia obtinenti cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolicae per alias nostras litteras gratiose duximus reservandos, prout in illis plenius continetur. Nos tibi ut statum tuum iuxta dignitatis episcopalis exigentiam decentius tenere ac incumbentia onera dietim perferre commodius valeas, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu proprio non ad tuam vel alterius per te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tam super canonicatus et praebendae Misnensis et illius quam etiam obtentae praepositurarum praedictarum fructibus redditibus et proventibus pensionem annuam centum florenorum Renensium pro aequalibus partibus sive portionibus tibi, quamdiu dictae ecclesiae Misnensi praefueris, vel procuratori tuo ad hoc a te speciale mandatum habenti per eundem Theodericum de Schonenberg, cuius ad id expressus accedit assensus, et successores suos canonicatum et praebendam et praeposituras praedictas pro tempore obtinentes, pro una videlicet in nativitate domini nostri Jhesu Christi et alia medietatibus pensionis eiusdem in beati Johannis baptistae festivitate nativitatis in civitate Misnensi annis singulis integre persolvendam auctoritate apostolica tenore praesentium reservamus constituimus et assignamus, decernentes Theodericum de Schonenberg et successores praedictos ad integram solutionem pensionis huiusmodi — fore efficaciter obligatos, ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod ille ex Theoderico et successoribus praedictis, qui pensionem tibi tunc debitam in festivitibus praedictis vel saltem infra triginta dies easdem festivitates immediate sequentes non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem excommunicationis sententiam incurrat, a qua donec tibi vel eidem procuratori de pensione tunc debita huiusmodi integraliter satisfactum seu alias tecum vel cum eodem procuratore tuo super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam